OFFICIVM
S. CANVTI IV.
DANORVM REGIS,
ET MARTYRIS,


Semiduplex.

A Sac. Rit. Congreg. recognitum, & approbatum.

De mandato Sanctiſsimi D. N. D. CLEMENTIS Diuina diſpoſitione Papæ X. in Breuiario Romano apponendum.

Et ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur recitandum ad libitum die 19. Ianuarij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Ex Typographia R. Cameræ Apoſt. 1670.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Die 19. Ianuarij.

IN FESTO
S. CANVTI IV.
REGIS ET MARTYRIS,

Semiduplex.

Officium &c. omnia de Communi vnius Martyris, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEVS, qui ad illuſtrandam Eccleſiam tuam beatum Canutum Danorũ Regẽ martyrij palma, & glorioſis miraculis decorare dignatus es; cõcede propitius, vt ſicut ipſe Dominicæ paſſionis imitator fuit, ita nos per eius veſtigia gradientes, ad gaudia ſempiterna peruenire mereamur. Per eumdem Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni de Script. occurr.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio IV.

CANVTVS IV. Suenonis Eſthritij Danorum Regis filius,

fide

fide, pietate, & morum honeſtate conſpicuus, eximiæ ſanctitatis à teneris annis ſpecimen dedit. Paternum ſceptrum ſumma omniũ acclamatione adeptus, Religioni promouendæ ſedulò incumbere, Eccleſias redditibus augere, & precioſa ſuppellectili ornare cępit. Tum zelo propagandę fidei ſuccenſus, barbara regna iuſto certamine aggreſſus, deuictas ſubditaſque nationes Chriſtianæ legi ſubiugauit. Victorijs autem plurimis glorioſus, & diuitijs auctus, regale diadema ad Chriſti crucifixi pedes abiecit, ſe & regnũ illi ſubijciens qui Rex Regum eſt, & Dominus dominantiũ. Corpus ſuum ieiunijs, cilicijs, & flagellis caſtigauit. In oratione, & cõtemplatione aſſiduus, erga pauperes profuſus, erga omnes beneficus ſemper fuit, nec vnquam à iuſtitiæ diuinæque legis ſemitá deflexit.

Lectio V.

HIs alijſque virtutibus imbutus, ad ſupremũ perfectionis apięem S. Rex properabat. Accidit autem vt Angliæ regnum à Vvilhelmo Normannorum Duce formidabili exercitu inuaderetur, Anglis verò Danorum opem implorantibus cùm ſuccurrere Rex decreuiſſet, belli expeditionem Olaę fratri commiſit, qui re-

regnandi cupiditate illectus arma vertit in Regis perniciem, militibus & populo contra illum concitatis. Nec defuerũt rebellioni fomenta; cùm enim Rex editis legibus decimas Eccleſijs ſolui, Dei & Eccleſiæ præcepta ſeruari, tranſgreſſores puniri ſanxiſſet, pleriq; peruerſi ac ſcelerati homines exacerbati, primùm quidem tumultuari, tum plebem cõmouere, ac tandem ſanctiſſimo Regi necem moliri cœperunt.

Lectio VI.

Sciens igitur Rex futurorũ præſcius mortem ſibi propter iuſtitiam imminere, ea prænunciata ad Eccleſiam S. Albani Martyris Othoniæ tanquam ad locum certaminis profectus eſt, & Sacramentis munitus agonem ſuum Domino commendabat. Mox ibi adueniens coniuratorum multitudo Eccleſiæ ignem admouere, fores confringere, & in eam irrumpere tentarunt: quod cùm perficere non poſsent, ad feneſtras accedentes ſaxa, & ſagittas in ſanctum Regem flexis genibus pro inimicis orantem magno impetu iaculari non ceſſarunt, donec lapidum, & telorum ictibus, ac tandem lancea confoſsus, glorioſo martyrio ante altare extenſis brachijs procumbens coronatus eſt, ſedente in

Apo-

Apoſtolico throno Gregorio Septimo. Multis poſtea miraculis Martyrem ſuum illuſtrauit Deus: nam graui penuria, & diuerſis calamitatibus oppreſſa Dania patrati ſacrilegij pœnas luit. Plures etiã varijs languoribus afflicti, ad eius tumulum remedium, & incolumitatẽ cõſequuti ſunt: cumque Regina ſacrũ eius corpus noctu clàm ſurripere, & aliò tranſferre conaretur, emiſſo cœlitus ingenti ſplendore perterrita à propoſito ceſſauit.

IN III. NOCTVRN.

Euangelium. Si quis vult poſt me venire. *Homilia S. Gregorij Papæ, de Communi vnius Martyris.*

Miſſa. In virtute tua Domine &c. *de Communi vnius Martyris non Pontificis.*

Oratio. Deus, qui ad illuſtrandam Eccleſiã tuam. *vt ſuprà.*

Euangelium. Si quis vult poſt me venire, *de Cõmuni vnius Martyris.*

Cum

CUm Sanctiſs. D.N. CLEMENS PP. X. die 10. Auguſti 1670. de voto etiam Sac. Rituum Congregationis habitæ ſub infraſcripta die mandauerit apponi in Breuiario Romano Officium S. Canuti Martyris Regis Danorum ſub ritu Semiduplici ad libitum recitandum die 7. Ianuarij ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur tùm Secularibus, tùm Regularibus vtriuſque ſexus;

Eadem Sacra Congregatio ſupradictas Orationem, & Lectiones proprias dicti Sancti, vna cum prædicto eius Officio recitandas reuiſas, & relatas per Eminentiſſimum D. Cardinalem Bonam approbauit, ac imprimi poſſe conceſſit. Die 9. Auguſti 1670.

M. Epiſc. Portueñ Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secr.

SAc. Rituum Congreg. ad preces Catholicorum Nationis Danorum benignè conceſſit vt feſtum S. Canuti Martyris Regis Danorum, quod cadit in die 7. Ianuarij infra Octauam Epiphaniæ, transferatur ad diem primam non impeditam, nempe ad diem 19. Ianuarij, quo die ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur recitandum eſt Officium ſub ritu ſemiduplici ad libitum cum Lectionibus, & Oratione propriis dicti Sancti aliàs, & ſub die 9. Auguſti proximè præteriti ab eadem Sac. Congregatione approbatis, & ita cenſuit, & ſeruari mandauit. Hac die 13. Septembris 1670.

M. Epiſc. Portueñ Card. Ginettus.

Loco ✠ ſigilli.

Bernardinus Caſalius S. Rit. Congr. Sec.

Digitized by Google